

ATLAS  
MARIANVS  
QUO  
SANCTÆ DEI  
GENITRICIS  
MARIÆ  
IMAGINVM  
MIRACVLOSARVM  
ORIGINES

Duodecim Historiarum Centurijs  
explicantur.

AUCTORE  
GUILIELMO GUMPPENBERG.  
E SOCIETATE JESV.



*Cum facultate Superiorum, & Privilegio Sacræ  
Cæsareæ Majestatis, & Serenissimi Electoris  
Bavaria.*



MONACHII,  
Typis & impensis, IOANNIS IÆCKLINI, Typo-  
graphi ELECTORALIS & Bibliopolæ.

---

ANNO M. DC. LXXII.

tantâ focordiâ ; ut nemo vigilum adverteret advenientes, & jam jam ingressuros. Cùm ecce vigilans pro suâ domo Deipara, inter fulgores cælestes terribilis ut Castrotum acies ordinata, se conspicuam præbuit eo ipso in muri hiatu, quo se densæ hostium turmæ contulerant, ut dato signo irrumperent, & urbem suam facerent. Sed terrii tantâ Majestate pedem retulere, non sine mutuâ cæde, fugamque instituere sine lege sine tubæ

signo. Defuncti periculo cives vigilarunt: quæque contigerant, è captivis intellexere. Quapropter solutâ tandem obsidione, eo ipso in muri hiatu Deiparæ jam sacro templû hoc exstructum est, nec dubitant cives, loco turris fortissimæ ornamento moenibus, non oneri esse. Ita Hispanus Auctor *Planca* in comment. rerum Aragoniæ anno 1134. ubi ait in solâ Aragoniâ fuisse bis mille templa B. Virginis Mariæ.



## Imago B. V. Miraculosa. T R E V I S A N A. *Trevisij in Italia.*

*Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.*

*Anagr. Primogenita data sine vâ macularum.*

1. *Duellorum miseria.*
2. *Sæculum ferreum.*
3. *Ultima ratio regum.*

**V**Ltima ratio regum, gladius est: quomodo enim, quod suum est, Rex à Rege repetat, qui judicem non habet, & Superiorem non agnoscit? Itaque qui lites horum decernit, Gladius est, in quo creditum antiquis est inesse quiddam divinitatis, nunquam non efficientis, quin saltem in fine bona causâ triumphet. Atque utinam ex licentiâ non facta esset libertas pugnandi non tantum, cùm necesse est, sed cùm lubet.

**Duellum,** Nobile visum est, & velut certum veræque nobilitatis specimen, quemvis ad singulare certamen provocare, & cuivis provocanti se sistere, vidisses quosdam ad prælia tanquam ad ludos euntes, alios in ludis fortius pugnantes, quam

si eos prælium commisisset; ut nescires, an in campo luderent, an verò in arenâ præliarentur. Hoc Nobilium serio ludo Principes regesque excipiebantur, si quam urbem Nobilium copiâ insignem intrassent. Præ alijs Henricus III. Imperator his ludis se oblectabat. Itaque Trevisani, apud quos Imperator cum aulâ aliquamdiu subsistit, arenam paravere, in quâ suam quoque virtutem Principi probarent. Et stetit sanè virtuti suus locus, si ludos inter stetit civium vota.

At verò ubi privatis litibus dirimendis gladius aptatus est, solis Regibus concessus, & ad rixas adhiberi cæpit, qui solis bellis debetur; paulatim mos invaluit, ut ex ludicrâ pugnâ seria fieret. Nobilitati datum est, pugnam sic capessere: concitare calcaribus armatum

tum ferro equum, & lanceam in hostem dirigere, qui non minus avidè certamini se offerret. Spectatum non rarò est, ut contrario ictu per parvam uterque transfusus, duabus hærentes hastis moribundi ex equis delaberentur, quod de Arunte & Bruto consule memorat Livius. At inter Christianos, qui cælonati sunt, hoc fieri, præter Spectatores, ipsis quoque pugnantibus displicuit, fecitque, ut victis condolerent bis miseris. Hæc apud Trevisanos fiebant penè dixerim quotidie: nec semper ex equo pugna tam iniqua committebatur; etenim præceps quandoque furor in arenâ dissidentes conjunxit non equo sublimes, sed pedites, non ferro armatos, sed pene nudos, quibus breve ferrum, quo latus cinxerant, pro lanceâ esse debuit. Non rarò mutuis ictibus uterque cecidit.

Non parùm acerbiorē reddidit remota: tam tantæ stragis causa, quæ non nisi levibus gravis visa est, verbum unicum sinistrè intellectum sufficiebat, imò necessitatem imponebat, provocandi incuriæ auctorem, nihil cunctantem. Pro timido, hoc est, infami habitus est, qui dicti interpretem vel postularèt, vel admitteret, sanguine hostis, confictæ maculæ umbra abluenda fuit. Et hostis fuit, quem ipse sibi fecit. Tantùm eo tempore justitia laborabat, ut ad ferrum eundum esset, & novo fortilegij genere quærenda veritas ex tam fero metallo; quin è ferro fusa credebantur oracula, cum sanguinem fundebat, & pro justitiâ iteruisse, malam verò causam ha-

buisse creditus est, quem vinci contigit, & omnium opinione causâ bona triumphabat cum stante. Hic nempe ferrei sæculi genius erat inter Christianos, quibus debebatur aurum.

Fuit, qui miserorum sortem miseratus, optaret animis meliora: quando corporibus non poterat. Eum in finem proximè locum tumultuario opere D. Virginis <sup>Imago.</sup> Imaginem posuit, cujus aspectu tam malè perentibus bene consuleretur, suadereturque, ut tum saltem inciperent bene cogitare, quando amplius malè facere non possent: successu non caruit ingeniosa pietas: quanquam initio dubitaretur, an perire volentes vellet non perire Virgo. Factum tamen satis voto est à Virgine non rarò, quando non pauciorum de animæ salute nihil sperantes, aspectu Virginis cadente corpore, sic animo erecti sunt; ut non obscurè significarent, spem inter metumque ex hac se vitâ discedere, quod inter portenta numerari merebatur, quando tam projectæ temeritatis homunciones non alio in hæc usque tempora, quàm metu comite, viam universæ carnis ex hoc loco inibant. Sed cur Virgo ijs tantùm, qui minimè mererentur, opitularetur; eos verò præteriret, quorum pietas meliora poscebat?

Et verò fuere, qui morbis afflicti auxilium Virginis non jam flagitarent, sed postularent, spe in fiduciam versâ, deberi sibi favorem Virginis, qui in immerentes tam prodigè profunderetur. Juveret sanè indignos, meminisset tamen etiam suorum. Et qui perenni

T t a ob-

Cultus.

obsequio se digniores fecissent non præteriret. Auditæ sunt justæ preces tam potenter perorantium, & præter monomachos etiam alij à Virgine beneficia accepere. Hinc Imagini cum donarijs tum precibus cultus exhiberi cæpit opulento, & Imagini factum est sacellum, & ex sacello bis terye in majorem for-

mam diducto factum templum, quod in hodiernum diem Trevisani ornare non desinunt: quia Virgo Trevisanis benefacere pergit. *Ioannes Bonifacius* in historia Trevisanal. 3, unde, ,quæ dixi, excerpta sunt à R. P. Vincentio Ficherello Soc. IESU Rector Coll. Pistojen- sis; & ad me missa.



C C X X I.

Imago B. V. Miraculosa.  
**H E I N D O R F F E N S I S.**  
*Heindorffij in Boemia.*

*Progr.* AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

*Anagr.* En! *Virgo pia re munda immaculata est.*


1. *Cultus B. V. & religio Catholicorum.* & cum Religione cultus Deiparæ.  
*semper simul sunt.*

2. *Emptio imperata à B. V.*

3. *Statua in Tilia.*

**I**N Ducatu Fridlandiæ pagus Heindorffensis ab immemoriali tempore accursum circumjacentium populorum accivit Deiparæ Statua miraculosa. Inventum in tabulis perantiquis est, bis esse in majorem formam diductum sacellum, quod olim majores struxerant. Inde temporibus *Rudolphi II. Imperato:* ad hæreticum dominum deveniens Pagus pietatem omnem amisit, utique postquam ipsum templum spoliatum est, illæsâ tamen semper Statuâ: quod miraculo non caruit. Redijt sub *Ferdinando II.* Religio Catholica,

Ad originem ipsam quod attinet, fama constans & antiqua est, & legitimè à pluribus præsentè Notario testata, ex avorum narratis haberi, hominem pauperem, uore & liberis domi languentibus, sub Tilia, quæ hic in densâ silvâ steterat, obdormisse, in somno à Deipara monitum Statuam emisse, & in hâc Tilia collocasse, suâque ad venerationem S. Imaginis adduxisse, sanosque & saluos domum reduxisse. Hinc primus ad hanc S. Statuam accursus, qui in hodiernum diem ( si tempora hæretica excipias ) durat & indies augetur ab Illustrissimo Domino Gallasio qui hodie loci dominus est.



C C X X I.

Imago B. V. Miraculosa.  
**D E T O R N O.**  
*Torno in Italia.*

*Progr.* AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

*Anagr.* *Eva it Virgo munda, emicat alma parens.*

J. Latro